

Dissertatio inauguralis medica de ataxia mensium provide dijudicanda et curanda / Quam ... submittit ... Joannes Casparus Hirzel.

Contributors

Hirzel, Hans Caspar, 1751-1817.
Delius, Heinrich Friedrich von, 1720-1791.
Universität Erlangen.

Publication/Creation

Erlangae : Litteris Waltherianis, [1772]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s3ydefu7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

ATAXIA MENSIVM

PROVIDE DIIVDICANDA ET CVRANDA

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

ACADEMIAE FRIDERICO ALEXANDRINAE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO

CAROLO ALEXANDRO

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE

SILESIAEQVE DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI

VTRIVSQUE PRINCIPATVS REL. REL.

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

D. HENRICO FRIDERICO DELIO

SERENISS. MARGGR. BRANDENB. ONOLD. ET CVLMBAC. CONSIL. AVL.

MEDICINAE PROFESSORE PRIMARIO

ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ADIVNCT. REG. SOC. MONSPELIENS.

ET ACAD. SCIENT. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

IVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES CASPARVS HIRZEL

TVRICO - HELVETVS.

HEBENSTREIT.

de homine sano et aegroto Carm.

p. 161. 283.

*Scilicet ut variare modos, et tempora, cernis
Sic variis itidem mutatur foemina morbis. ---
Pharmaca nulla valent, nisi quae sint commoda caussis,
Sint nisi temporibus, nisi sint nascentibus ultro
Atque salutiferis naturae motibus aequa.*



DE
ATAXIA MENSIVM
PROVIDE DIIVDICANDA ET CVRANDA.

§. I.

Sanguinis sinceri, e variis corporis humani locis, excretiones, seu *haemorrhagiae*, quae absque iniuria externa, vel interdum ope chirurgica, procedunt, inter medicos *naturales* audiunt. Nonnullae porro earum, quando prosperum effectum post se trahunt, atque e locis haud adeo periculosis proueniunt, neque copia euacuatı cruoris peccant, pro *salutaribus* declarantur, dum inde aut vniuersa massa sanguinea, nunc forte abundans, imminuitur, aut Sanguis, ad certa loca congestus, excernitur, et tali modo symptomatum leuamen subsequitur. In horum numerum *haemorrhagia narium, haemorrhoides, fluxus menstruus, lochia*, referuntur. Quando vero tale sanguinis profluuium e locis minus tutis oritur, atque periculosas inducit sequelas, tum *minus salutes* appellantur tales haemorrhagiae; quorsum *haemoptysis, vomitus cruentus, mictus cruentus*, pertinent; vt ea loca nunc taceamus, quae haud

adeo solita sunt, e quibus tamen interdum sanguis excernitur, veluti ex Oculo, gingiua, faucibus, e varice, aneurysmate, papilla, fonticulo, cute, *cet.*

§. II.

Quamuis autem maneat suus haemorrhagiis salutaribus honor, tamen ipsa haec cruoris excretio, licet et naturae autocratiae ope proueniat, non plane naturalis esse videtur, dum causam quandam praeternaturalem vltimato supponit, quae vel in humorum quantitate, vel qualitate, vel vtraque simul, vel in vitioso eorum motu, sita est; et quoad modum, quo perpetratur vitium, praeternaturalem constitutionem quandam vasorum, et organorum, prodit, siue nunc haemorrhagia fiat, per anastomofin, vel diaeresin, vel diapedesin, vel diabrosin. Vt ideo, si et haemorrhagiam quandam prosperi effectus sequantur, ea vt minus malum consideretur, saltem vt tale, quo peiora mala auertuntur, quae pro vario vitae genere, et aetatis ratione, ingruunt, veluti illud iam HIPPOCRATES obseruauit, *Lib. III. aphor. 27. 29. 30.* Neque alio modo salubritas haemorrhagarum nonnullarum concedi potest, quam, si, pro ratione subiectorum, debito tempore, modo, copia, succedant, cum contra damno non careant, si intempestiue, nimis large, et cum impetu, administrantur; vt ergo maxima medicus opus habeat, in rite diudicando, et curando, negotio haemorrhagico, cautione.

§. III.

Sed est tamen inter dictas haemorrhagias quaedam, quae *maxime naturalis* dici potest, et ea propter magis phy-

physiologicam, quam pathologicam, vel Therapeuticam considerationem meretur. Ea sexui feminino propria est. Scilicet sub finem secundi septenarii, seu ab anno circiter decimo quarto, quo vtcunque Corporis femini incrementum peractum est, vsque ad finem septimi, seu ad annum vsque quadragesimum nonum, in sanis, et non grauidis, vel debite lactantibus, finito quouis mense solaris, vel quoque lunari, seu 29. vel 30. dierum spatio, exstillat ex vtero, et interdum quoque vagina, sanguis sincerus, ad aliquot, vel plures, pro indiuiduorum ratione, uncias, quae excretio per aliquot dies durat, elapso mense iterum reditura. Frustra laborare videntur, qui causam haemorrhagiae, quae et *cum* phasibus lunae conspirat, huius menstruae, a luna deriuant, vel fermentum quoddam, vt autorem, adsumunt. Propius ad veram Causam, et simpliciolem magis, accedunt, qui peculiarem corporis muliebris structuram, structurae fines, mediaque, quibus scopi obtineri queant, considerant. Scilicet datus est feminis vterus vasculoso musculosus, in quo, suo tempore, foetus concipiatur, formetur, nutriatur, ex quo demum nouus homo in lucem prodeat. Non ita certum, et determinatum magis, quam reliquis animalibus, vteros diuersae structurae gerentibus, praescriptum est homini, actus generationis, vel quoque, vocis interdum naturae, explendae libidinis, tempus. Sed alitur praecipue foetus materno sanguine. Itaque statuto tempore femina, quando debitum corporis incrementum cepit, et nunc ad concipiendum habilis, et sana, est, paulo maiori copia boni sanguinis gaudere debet, cuius tantum, quantum opus

est, versus vterum, ad alendum nouum hospitem, mittat. Nascitur hinc plethorae quaedam species, quae, nisi suo scopo impenditur, molesta fit. Congeritur inde magis versus hanc partem, functioni dictae destinatae, sanguis, et oritur *plethora localis*. Inde porro, in tam sensibili organo, pruritus, ex eoque maior adhuc congestio, dilatatio vasorum vteri, ab hypogastricis oriundorum, cum spermaticis quoque communicantium, deinde anastomosis quaedam eorum, et apertio, circa fines Arteriarum, et venarum initium, et inhalatio quaedam sanguinis in cauum vteri, et e vasis, quae et floculenta, vermicularia, appendices venosas *cet.* appellant, et inde similitudinem structurae vteri et mammarum, vti, praeter alios, Cel. ASTRUC *Traité des Maladies des Femmes* T. I. p. 12. sequi quanquam haud plane adposite, inferunt. Oritur itaque tanta sanguinis, et *oviseos speciem* prae se ferens, excretio, quanta sufficit ad tollendam hanc plethoram, vt quoque interdum, si necessitas hanc excretionem vrgeat, congestus sanguis, vt et interdum in grauidis, ex parte per vaginam transudet, et eodem forte modo, quo haemorrhoides fluunt. Dum autem sanguis, alias menstruatim excretus, nunc oborta grauiditate, remanet, primis praesertim mensibus, in grauidis fere eadem pathemata creat, quae a plethora oriri solent. Interea cohaerens, cum vteri superficie interna, ouum, ab ipso sanguinem recipit, vnde ad foetum per venam vmbilicalem fertur, e foetu ad placentam, per arterias vmbilicales, rediens. Excliso autem infante, nunc quoque soluitur ab vtero placenta, vnde vulnus quasi vteri latum, nunc sanguinem stillans, cuius fluxus *lochiae* vocantur. Hic fluxus eosdem fontes, ac catamenia agnos-

fcens

cens, per septem circiter dies durat, immo ad septimanas extenditur. Repurgato demum vtero, sanguinis riui clauduntur, qui nunc magis ad mammas, secretioni lactis destinatas, fertur, cessante interea regulariter, lactationis tempore, menstruo fluxu, qui autem, hac finita, vel prohibita, suo tempore redit.

§. IV.

Breuiter sic adumbrauimus mensium negotium. Fusius autem, et limatius, hanc historiam tractauit ill. V. HALLER, *Elem. Physiol.* Tom. VII. Lib. XXVIII. atque plurium autorum sententias, sententiarum, et hypothesium, rationes, adduxit, et conciliauit, quorsum et Cap. XXIX. Tom. VIII. pertinet, et PRAESID. diff. *de òuis muliebribus, foecundis et sterilibus*, nec non, *de uteri fabrica controuersa*. Quando autem de mensibus dicta ita procedunt, tum *κατα ταξιμ*, seu *regulari modo*, fiunt, sin secus, *αταξια*, seu *irregularitas*, oritur. Dum autem mensium fluxus excretio quaedam naturalis, et sexui feminino propria, est, magna inde, si recte procedit, oritur sanitatis pars. Quodsi vero ea irregulari modo procedit, fieri non aliter potest, quam vt insigniter laedatur sanitas. Varia autem esse potest ea ataxia, si saltem excretionis *tempus, periodum, ordinem, modum, quantitatem, qualitatem, sequelas. cet.* consideramus, siquidem varii data occasione, et pro variis causis, propullulare possunt morbi, et caussarum, et morbosorum effectuum, Schema varium. Sicuti iterum vice versa varii subesse possunt morbi, in quibus irregularitatis caussae sitae sunt. Vt adeo medicus, si in foeminis aegrotis ataxiam mensium obseruat,

prouide hunc statum diiudicare debeat, atque in cauffas irregularitatis descendere, ex qua demum diiudicatione tunc patet, vtrum hanc irregularitatem solummodo iterum, ad suas regulas, restringere, et effectus morbosos tollere, an potius ad cauffas ataxiae remouendas ipsi adlaborandum fit, vnde tandem aut iterum regularitas oriatur, vel, si cauffa naturalis, interdum non statim liquida, subsit, negotium naturae, et tempori, commendandum.

§. V.

Quodsi regulari modo procedere menses debent, oportet feminam iustae aetatis, nec grauidam, nec lactantem, esse, et ceteroquin, et suo modo, sanam: gaudentem, pro temperamenti ratione, debita, sanguinem constituentium partium miscela, libero sanguinis circuitu, debito, partium solidarum tono: Insuper satis mobili vitae genere, vt et legitima diaeta, et regimine apto, quoad Corpus et animum, fruentem.

§. VI.

Verum enim vero, si et feminei corporis structura sit tenera, imbecillis, adsint conformationis Vitia, adsit fibra vel laxa nimis, vel vltra modum stricta, adsint humores pituitosi nimis, et seigniores, vel etiam abundantes, et orgastici, tenues et acres, e. s. p. et accedat diaetae, vel regiminis, minus iusta administratio, et alius morbus, tum a regula etiam menstruus fluxus, inducta sic cauffa praedisponente, et procatarctica, et proxima, aberrare potest, et creare deinde iterum plura incommoda.

§. VII.

Rurfus, quando, in, alias rite menstruata, femina subito, vel fenfim, et absque grauiditate, per cauffas varias occasionalis, tributum hoc lunare sistitur, tum plura inde eueniunt mala. Dum enim sistitur ipse pendens fluxus, et in vasis vteri sanguis subsistit, tum ex stasi inflammari vterus, aut cruor corrumpi, corruptus resorberi, aut congestus sanguis redundare, regurgitare, ex orta nunc Plethora ad alias partes deponi, exitum alium moliri, vel in vicinis, vel remotis, partibus restringi, potest. Inde ipsius vteri acutae, vel chronicae, laesiones, hysteria, dolores lumborum, intestinorum, systematis vropoieseos, artuum, Cephalalgiae porro, conuulsiones, mentis turbationes, suffocationes, tusses, vomitus, cardialgiae, secretionum et functionum in aliis organis sufflaminationes, excretionum retardationes, massae sanguineae contaminationes, chlorosis, cachexia, lenta vel hectica febris; *cet. conf. BOERHAVII aphorism. de cognosc. et cur. morb. 1285. et VAN SWIETEN Comment. Tom. IV. p. 413. sequ. IVNCKER consp. med. pract. Tab. XV. p. 116. sequ.*

§. VIII.

Prouti nunc *Ataxiae mensium modi, caussae, effectus, effectuum, J. symptomatum, Schemata*, variant, sic irregularitas haec in varias morborum classes reponi potest. Ita si spectetur haec ataxia, locum inuenire potest, inter *dolores*, secundum Cel. SAVVAGESII *Nosolog. methodic. Class. VII. Ord. IV. Tom. III. p. 1. p. 180.* Porro inter *vesanias*, EIVSD. *Class. VIII. Ord. 1. n. V. Hypochondriasis hysterica l. c. p. 303.*

Itidem inter *fluxus*, Class. IX. ord. 1. n. VI. *Menorrhagia*. Tom. III. p. II. p. 54. ord. III. *Serifluxus*, n. XXIX. *Leucorrhoea*. Inter *cachexias* Class. X. ord. VI. n. XXXIII. p. 500. *Chlorosis*. *Menostasia*. Inter *Spasmos* Class. IV. Tom. II. P. II. ord. IV. n. XX. p. 99. *Hysteria*. Secundum perill. a LINNE' genera morborum pertinere potest, ad Class. IV. morborum dolorosorum n. 55. *Hysteralgia*, ad class. VIII. morborum suppressivorum n. 168. *dysmenorrhoea*, ad Class. IX. euacuationum, n. 202. *Menorrhagia*. Vid. *Amoen. academ.* Vol. VI. p. 461. seq. Secundum ill. VOGELII *defin. gener. morbor.* ennumeratur in Class. 11. *Profluuiorum*. n. 96. *menorrhagia*, inter *apocenoses* n. 119. *Leucorrhoea*, in Class. III. *episcbesum*, n. 130. *amenorrhoea*, in Class. IV. *dolorum* n. 169. *Hysteralgia*, n. 170. *dysmenorrhoea* in Class. V. *Spasmodorum*, n. 219. *Hysteria*. in Class. VIII. *cachexiarum* n. 305. *Chlorosis*. Ut alios *systematum morborum*, eorumque *adfixitatum*, conditores nunc taceamus, et plures, aevi nostri inprimis, autores pathologicos, generales et speciales, sua laude non defraudandos. v. c. Vir. Cl. de GORTER. GAUBIVM. STAHLIVM. IVNCKERVM. PLATNERVM. HEISTERVM. LVDWIGIVM. BAGLIVM. SANTORINVM. FREINDIVM. ASTRUCIVM. LOBBIVM. de HAEN. MANGOLDVM. alios. Conf. quoque Cl. TISSOT. AVIS AU PEUPLE. Cap. XXVI. et Cl. ZIMMERMANN. *von der Erfahrung in der Arzneykunst* p. 11. p. 409. seq.

§. IX.

Vberius autem *ataxia mensium* in suas *species* dispesci poterit. Si enim I. vniuersum AETATIS STADIVM consideramus, in quo regulariter menses procedunt, oriri potest:

1. EMANSIO, quando in iunioribus, debito tempore, non proueniunt, sed ad annum XVI. XX. et vltra, cum maiori, vel minori, sanitatis dispendio, emanent menses, ideoque *eruptio difficilis* redditur. Quorsum et rationes climatum pertinent, et singulares casus referendi sunt feminarum, quae per integram vitam non menstruatae fuere. In pluribus autem initium mensium est finis morborum eorum, qui fluxum hucusque retardarunt.
2. PRAECOCITAS, quando ante annum XIV. menses erumpunt, quae quidem in calidioribus regionibus dicitur esse familiaris. In nostro Climate morbosa est, et sensibilitate indiuiduali, nec non caussis occasionalibus, nititur, et quod cito fit, cito saepe perit, interdum saltem ad tempus, et si in temperie corporis fundata sit praecocitas, successu temporis aliis morbis stipatur fluxus.
3. CESSATIO PRAEMATVRA, quando, ante annum quadragesimum nonum, haec excretio in feminis cessat, vnde, praecipue in sterilibus, hic finis initium saepe fit plurimorum morborum.
4. PERDVratio, vltra exactos L. annos, in eufarcis, mobili vitae genere gaudentibus, aut sterilibus, haud adeo damnanda, in debilibus, et vitio vteri laborantibus, in largas haemorrhagias, hydropem, hecti-
cam, saepe terminatur.
5. RECVRSVS *in annosioribus*, et post praematuram cef-
sationem, orta reuolutione quadam occasionali; et post cef-
sationem naturalem; ambigui tamen ominis.

V. ILL. PRAESID. *amoenit. medic.* Decad. IV. Caf. VII. et Epicris. p. 296.

§. X.

Quodsi porro II. PERIODVM *ipsam menstruam, typumque*, perpendimus, variae iterum occurrunt irregularitates:

6. ANTICIPATIO, quando vel bis per mensem excretio haec procedit, vel ante elapsum 29. dierum spatium; quae in plethoricis, sensibilibus, lauta diaeta fruentibus, imo salacioribus, e venae sectione intempestive instituta, *cet.* occurrit. In acutis morbis mali, ancipitis saltem, ominis.

7. PROROGATIO, *s. postpositio, remora, retardatio*, termini menstrui ad 5-6. hebdomades, et ultra, cum minore, vel maiore, incommodo.

8. MENOSTASIA, *Obstructio s. retentio. s. suppressio* mensium, sub ipso fluxu, vel prohibitio eiusdem, post reuolutam periodum, vel sensim, et ex aliis morbis, eorumque caussis, oborta.

α. MENOSTASIA, *seu mensium obstructio, a grauiditate.*

Haec caussa naturalis est. Sed probe tamen, in nuptis, et innuptis, a medico clinico, et forensi, perpendenda, et diiudicanda, ne quidquam, vbi non decet, moueat, aut se decipi patiatur, neque autem, si plethora, cum suis effectibus, aegre fertur, omnem medelam, negligat. Huc M. *ex lactatione* quoque referenda videtur. Vt tamen, si *menstrua sub lactatione* quoque procedant, et matri et infanti non penitus conducant haec *reuulsio*.

- β. MENOSTASIA, *mensium obstructio, a pathematibus animi*, terrore, moestitia, iracundia, desiderio vario, amore saepe occulto, gaudio, ut effectibus strictionum, vel labefactionis *neruorum*, et hinc vis auctae, vel imminutae, in vasa, sanguinem vehentia.
- γ. M. a *Plethora grauatua, spissitudine humorum, acrimonia varia, cacochymia, chlorosi*.
- δ. M. *ab anaemia*, vel vera, vel spuria. In egenis, pauperculis, hecticis, ab aliis haemorrhagiis nimis, et artificialibus quoque excretionibus. Conf. Ill. ISENFLAMM *Diss. de anaemia vera, et spuria*.
- ε. M. *a debilitate, et languore, fibrarum*, s. toni, defectu irritationis, vita sedentaria, cachexia.
- ζ. M. *a refrigerio* vario, pedum praecipue, haustu frigido.
- η. M. *a Venaesectione* largiore, saepius friuole repetita.
- θ. M. *a vitiis diaetae*, cibus dyspeptis variis, assumtis acidis, *cet.* orto sic vitio primarum viarum, quarum consensus cum Vtero, vasorum et neruorum ope, et generalis et specialis, admodum solennis est, quemadmodum, vice versa, etiam ex *uteri* vitio, eiusque functionibus alteratis, ventriculus, et canalis intestinorum, alteratur. Conf. HENR. IOS. REGA. *Tract. de Sympath. s. consensu part. corp. human.* ac potissimum ventriculi C. XV. p. m 265. sequ. Ill. PRAESID. *Abhandlung von Blähungen vnd Dünsten.* Ed. III. p. 69. 73. seq. WINSLOW. *Expos. anat.* Tom. IV. §. 618. 624.

- i. M. *ex alio morbo* v. c. febre intermittente, acuta varia, vel idiopathica, vel symptomatica, e phtisi pulmonali vera, aliaue, vel ex labe visceris cuiusdam, vel neruosa: porro ex ictero, atrophia, vermibus, arthritide.
- ii. M. *ab adstringentibus medicamentis*, minus recte interdum propinatis, a *vestimentis arctioribus. cet.*

§. XI.

III. Ratione MODI, quo menses procedunt, si *regulam spectes*, inter ataxias occurrit:

9. DYSMENORRHOEA s. difficilis menstrui sanguinis excretio, iuncta cum *doloribus colicis*, lumborum, dorsi, partium regionem ossis sacri terminantium, inguinum, crurum, cum Cephalalgia, vomitu, alui constipatione, dysuria, passionibusque aliis hystericis. Causae coincidunt cum paullo ante dictis, hoc tantum discrimine, vt hic non sit menostasia, sed existens quidem fluxus, at libere non succedens.

§. XII.

IV. Haec autem dysmenorrhoea etiam cum aliis vitiis iuncta esse potest, si QUANTITATEM *sanguinis excreti*, seu quoque *excernendi*, spectemus. Datur enim:

10. OLIGOMENORRHOEA, seu paucitas menstruorum, dum, si et statò tempore fiat, tamen vix in vnum, alterumue, diem fluxus durat, et mox euanescit, vnde e fluxu parcipromo, non ea Salus, quae alias ex hoc beneficio expectanda est.

11. MENORRHAGIA, seu fluxus sanguinis nimius, solita quantitate excedens.

α. *Menorrhagia copiosa*, saepe *immodica*, singulis mensibus reuertens, tandem debilitans.

β. M. in *bis per mensem* menstruatim, aut breuiores inducias admittens, consueta, vel e causis occasionalibus, calidorum vsu, motu nimio, saltatione, *cet.* oriunda,

γ. M. *stillatitia*, per plures menses, annos.

δ. M. in feminis, paulo ante tempus, quo naturaliter *cessatio fluxus instat*. Saepe *beneficium*, vtiliter accipiendum, cum eo breui carendum sit. Cauendum autem, ne nimium vertatur in Vitium, ex quo cachexia, hydrops, tabes, *cet.*

ε. M. *grauidarum*, saepe *abortiua*, qua aut ova foecunda, aut sterilia, primis praesertim mensibus, excernuntur. Conf. Ill. PRAES. *Beobachtungen und Untersuchungen, welche das Geschäfte der Erzeugung und Geburtshülfe betreffen*. Norimb. 1767. p. 27. seq.

§. XIII.

V. Sanguis, in sana et munda foemina, menstruatim excretus, *colore naturali*, et *consistentia*, gaudere debet. Sed et QUALITATE peccare potest.

12. MENORRHOEA CACOCHYMICA.

α. M. C. loturae carniū similis, *decolor*. Talis esse solet in principio eruptionis, praecipue in iuuen-

uenculis, vasis nondum iuste patulis, quam si sequatur, legitime, sanguis sincerus, haud adeo damnanda, sicuti quoque, si versus finem periodi talis sit. Si vero ita perduret, morbosa. Saepe arigiditate fibrarum, vasorumque vteri, ab anaemia spuria, a scirrho, *cet.*

β. M. C. *thrombosa*, seu *thrombi cruoris*, *polypi*, sanguis coagulatus, nigricans, interdum foetens. *Amas*, Gallis. Saepe post menostasiam, eamque variam. Coagulum autem et in Vtero oritur, ex dysmenorrhoea, ex momentanea forte suppressione fluxus, aut in vagina, a remora varia, et sub decubitu. Sed et saepe non solus coagulatus sanguis est, qui excernitur, *sed abortus species*. Sollicite itaque interdum inuestigandum coagulum. Conf. §. 12. δ. ε.

γ. M. C. *acris*, genitalia arrodens, excorians, ex acrimonia, vel vniuersali, vel locali.

δ. *Leucorrhoea*, s. effluxus *materiae albicantis*, et variegatae quoque, ante, et post, sanguinis rubicundi immo per interualla, et chronice quoque, proueniens.

a. L. *in iuenculis*, termino menstruo proximis. An humor lacteus, e vasis, ab ASTRUCIO descriptis? V. supra §. 3. sed et lacteus humor, absque fabrica, mammis simili, et alibi secerni potest. V. HALLER *prim. lin. physiol.* §. 227. Vt potius haec Leucorrhoea videatur esse effectus dilatationis vasorum vteri, primo lymphaticam materiam transmittentium, donec sincerus sanguis sequatur.

- b. L. Sub finem cuiusdam menstruationis: species suppurationis alicuius restitantis sanguinis, nec non transfudationis lymphae, dum sanguis nunc ab vtero auertitur.
- c. L. e fontibus mucosis, circa orificium vteri e sic dicto ouario NABOTHI, et in vagina, obuiis. Materia *liquori prostatae* similis. In oestro venereo. Occulto interdum.
- d. L. *benigna*, s. *fluor albus benignus*, qui iterum periodicus, a. b. c. interdum diuturnus, ex laxitate vteri, tenuitate humorum, a nimio infusorum Theiformium, ipsiusque Theae, vsu, a feri congestione, vt et cum *coryza* symbolizans. Simile quoddam in viris, gonorrhoeam benignam expertis, obuenit.
- e. L. *lochialis*, in recusantibus lactationem, e lacte in sanguinem resorpto, cum lochiorum fluxu iterum exterminato, cuius alias depositiones varios pariunt morbos. *Conf. Cl. PVZOS Traité des accouchements.* Etiam supra b.
- f. L. *ulcerosa*, ab ulcere, scirrho, cancro, cum grauioribus symptomatibus, sequente haud raro tabe, hydrope.
- g. L. *maligna*, s. *sypilitica*, s. *venerea*, acris, erodens, pessimi coloris, odoris.
- h. L. *gravidarum*, distinguenda a praematureo liquoris amnii effluxu, et fontes, c. agnoscens, vel

quoque aquas sic dictas spurias, inter vterum, et placentam.

§. XIV.

Quando sanguis, per vterum excerni solitus, exitum non inuenit, vel retardatur, supprimitur, tum, praeter alia morbosa pathemata, ab inducta plethora, redundan-
tia, congestione, restrictione, causis occasionalibus, ad varia loca deponitur, vbi saepiuscule exitum inuenit, vnde nonnullae tales haemorrhagiae mensium vices quodammodo suppleant, vt tamen opus sit, negotium in statum ordinarium redigere.

13. MENORRHOEA *erronea*. Atque ea satis periculosa euadit, si per talia loca sanguis erumpit, vbi inductum vulnus difficulter sanatur, vel, vbi sanguis subsistit, difficiliores discussiones, depurationes, *cet.* admittit, vt in *pulmonibus, ventriculo, venibus*, suborta nimirum *haemoptysi, vomitu cruento, mictu cruento, cet.* quanquam tamen et hic, interdum satis feliciter, medela parata sit. Sed per alia loca, cum minori periculo, interdum cum euphoria, sanguis menstruus exiisse visus est, vt e *naribus, auribus, palato, gingiuis, labio, e papilla mammae, e digito, e varicibus saphaenae, vena malleoli, aliarumque venarum, ex umbilico, per cutem, e locis haemorrhoidalibus.* Conf. SAVVAGES, *Nosol. Method.* Tom. III. P. II. p. 57. Ill. DE HALLER. *Elem. Physiol.* Tom. VII. P. II. p. 157. ALBERTI *Lexic. med. real.* T. I. p. 272. Tom. II. p. 662. seq.

§. XV.

In recensione plurimorum *generum*, et *specierum*, mensium *ataxiae*, passim simul CAUSSAS eiusdem adduximus, quatenus vel *naturales*, et *praedisponentes*, vel *materiales* vel *formales*, vel *occasionales*, sunt, vt ampliori earum, enumerationi nunc supersedere possimus. Sed iterum haec *ataxia*, e variis causis inducta, plures adhuc parit EFFECTVS morbosos, symptomataque molesta, quae aut ipsum *uteri* viscus adficiunt, vel generatim humorum massam, et solidas partes, vasa, neruos, musculos, viscera alia, alterant. Recenseamus itaque etiam potiores morbosos *ataxiae* mensium effectus.

I. HYSTERIA, HYSTERALGIA, MALVM HYSTERICVM, *Vapeurs. Mutter Umstände.* Vox vsitata, latissimae saepe significationis. Proprie autem nunc sumitur pro ipsa *uteri*, et vera, adfectione, eaque, et pro ratione varia *ataxia* mensium, etiam, et gradu, varia, et inde etiam in alias partes actiuosa: quae varietas, ex dictis hucusque, haud difficulter patet. Hysteria itaque si adsumitur, aliquo tamen modo *uterus* pati debet, saltem vere, si id tandem ex aliis causis, et simul, fiat, adficitur. Alias *passiones* dictae *hystericae*, saepissime sunt *hypochondriacae*, aut *neruosae*. Vt tamen *nollemus* ea propter pathemata, a *neruis* praecipue oriunda, inde *hysteriam* appellare! *Functiones* autem, vitales, naturales et animales, ex alterato *utero*, alterari quoque solent, vt inde, in variis partibus, manifestentur plura symptomata, et

a restrictione, redundantia, sanguinis, vel sinceri, vel cacochymici, et e consensu vasorum, nervorum, cellulosaë telae, *cet.* oriunda. Prouti autem et talia symptomata in *virginibus, mulieribus, viduis*, obueniunt, sic variam originem habere queunt, quae, praeter §. 10. dicta, et in grauiditate, puerperio, abortu, sita esse potest, vt et ataxia possit magis esse effectus morbosus, quam primarius morbus. Sed posita tamen ataxia mensium, ponitur sic quoque aliorum effectum morbosorum iterum caussa, v. g.

2. *Exanthematum* in morbis acutis haud debitus successus, et *retrocessio*, praesertim in *variolis*, quando minus iusto tempore menses erumpunt. Quodsi sub inuasionem, vel circa finem, huius morbi catamenia fluunt, tum haud adeo videntur extimescenda. Quando autem in eo stadio erumpunt, quo suppuratio procedere debet, tunc *periculosa* saepe *reuulsio*, et, prohibito sic suppurationis negotio, morbus infeliciter decurrit: vt ideo bene agant et feminae, si morbum, arte, et quouis bello modo, ante pubertatis tempus, superare tentant, vt postea e superueniente, minus commodo tempore, fluxu, nihil habeant, quod timeant. Conf. FRÆNCK. SAMMLUNGEN Vol. III. P. XIII. p. 18.

3. *Vitia* vteri, eiusque partium, *topica*, v. c. e menostasia *hydropes ouarii*, stupendae interdum magnitudi-

tudinis. FRÆNK. SAMML. Vol. III. p. 519. Vol. IV. p. 431. Aliae porro concretiones, scirrhi, carcinomata, steatomata, *cet.*

4. CHLOROSIS, habitus cachecticus, ab emanatione mensium, et saepe emanationis, et menostasiae, causa. Chlorosis et a menorrhagia nimia, euacuatis sic, ultra modum, partibus sanguinis rubicundis, vnde sulphurearum sic dictarum penuria, maior dissolutio lymphae, eiusque in telam cellulosam infiltratio, vnde solidorum debilitas, oedema, leucophlegmatia, anasarca.

5. *Mentis morbi*, vesaniae variae. Melancholia, furores sic dicti vterini, febris amatoria, nymphomania. Lypothymiae. Erethismus.

6. *Pathemata spastico-convulsiva, dolores*, aliaque connexa.

a. circa *caput*, cephalalgia, clauus, carebaria, hemicrania, vertigines, otalgia, ophtalmia, aestus volaticus.

b. circa *thoracem*, praecordiorum angustia, tusses, haemoptyses, phtisis, suffocatio hysterica, cordis palpitatio, asphyxia. Mastodynia, aliaque mammarum affectus. Conf. Ill. PRAES. diss. *de consensu pectoris cum infimo ventre* §. 51. 52. Consensum enim thoracis, eiusque partium, cum vtero, lubenter adsumimus, absque tamen fabricae similitudine, vt potius is aliis legibus actuetur.

c. circa *abdomen*, cardialgia, pica, vomitus colica, flatulentia, constipatio.

d. circa *artus*, et corporis *peripheriam*, spasmi, notialgia, ischias, obdormitiones, conuulsiones, paralyfes, tumores, varices, lichenes, vari, vlcera, barba.

7. *Stevilitas*, ab emanfione, menofafia, menorrhagia.

8. *Abortus*, a laxitate, ftrictura, vteri, plethora, recurfu menfium intempeftiuo. Huc *mola* V. §. 10. α . §. 13. β .

9. *Vteri inflammatio*, fuis cauffis respondens.

10. *Febvis lenta*, et *hectica*, *tabes*, e labe vteri, et tum vifcerum abdominalium, imo pulmonis, fi vere huius vifceris labe introducta eft, vnde tamen iterum et vteri functiones *ατακται*. *vel*.

§. XVI.

Sed fatis eft aerumnarum, ab ataxia functionis vteri deriuandarum. Plura pathemata adhuc magis addi, determinarique, queunt. Lernam malorum faepe vterus gignit. Quamuis autem hucusque fpecies, et effectus, ataxiae menfium adumbrauerimus, mens ea tamen nobis non fuit, vt folummodo, hosce effectus ab vtero deriuandos effe, iudicemus; vt potius etiam adftruamus, faepiuscule alias cauffas fubeffe, vnde hi effectus pendeant: vnde itaque et ataxiae menfium, vt effectus harum cauf-

cauffarum, et complicatorum porro adfectuum, considerandae veniunt. Hinc in inuestigatione cauffarum, et nexus earum cum effectibus, apprime sollicitum esse oportet medicum rationalem, vt *anamnesin* et *diagnosin* rite instituat, vt inde et *prognosin*, et *indicationes*, rite formet.

§. XVII.

Licet autem, et methodi caussa, plura affectuum morbosorum nomina adduxerimus, tamen his non solum nititur eorundem curatio; siquidem quando *indicantia* rite inuenta sunt, *schemaque* morbi determinatum, facile, cum aliis, in verbis conuenire possumus, si modo in re ipsa conueniamus. Conf. Ill. PRAESID. diss. *de methodo medendi rationali eadem, in morbis, schemate et nomine diuersis, legitima et proficua*. §. II. 16. et passim. Interim cum is bene curare possit, qui bene distinguit, necessaria, suo loco, est *parbematum*, quoad *cauffas*, *effectus*, eorumque *genesin*, *typum*, *schema*, *sequelas*, et inde oriunda *nomina*, eaque, pro vario respectu, varia, distinctio.

§. XVIII.

Non vna itaque est ataxiae mensium curatio. Optima est cauffarum sublatio. Quae itaque cauffae dum variant, varia vtique opus habent, indiuiduorum rationi appropriatae, methodo. Praecipue emansio, obstructio, dysmenorrhoea, non solis sic dictis *emmenagogis*, pellen-

tibus positivis, calidioribus, exaestuantibus, tractanda est. Interdum expectatio, compositio vitae generis ad debitum regimen, ad regulas diaeteticas, praestat, nonnulla ferenda, neque impatienter admodum vrgenda. Videndum autem, quaenam primum orta fuerit laesio, an *mensium*, an *ipsius corporis partium*. Generatim autem in aliis iners humorum massa *resolvenda*, abstergenda, in aliis fibrarum robur excitandum est, in aliis nimius erethismus temperandus, in aliis stricturae relaxandae. Remotis autem obstaculis, si tandem ad promotionem menstrui fluxus veniendum est, prouti circa omnem methodum medicam adhibendam, *ευκαιρία*, seu iusti temporis electio, praestat, sic in hoc negotio periodico ea maxime necessaria est, vt excretio haec per omnia ordinate succedat. Propinanda sunt itaque blanda emmenagoga versus ipsum solitae eruptionis tempus, vt in termino effectus succedat: aut, si terminus sit vagus, vel nondum determinatus, ipsi effectus morborum facem medico praeferant, quidnam sit moliendum, a quo abstinendum. Conf. Ill. PRAES. IN ERLANG. GEL. ANZEIG. 1750. N. 22. *von einer monatlichen Cur*. Praecipue autem, pro ratione caussarum, et indiuiduorum, remouenda ea sunt, quae vterum in consensum morbosum trahunt, *Abstergendae*, et eliminandae, sunt, ventriculi et intestinorum *impuritates* variae, male digestae, viscidae, acres, biliofae, interdum verminosae. *Sanguini spissiori*, et saepiuscule per viscera abdominalia difficilius moto, debita fluxilitas concilianda, et ad hanc actuandam *venaesectio*, praemittenda, *corporisque motus* suadendus, est. *Nimia*

tenuitas, vel *acrimonia*, blandis inuoluentibus, et nutrientibus, interdum balsamicis, corrigenda est. *Solida* nimis *stricta* flexilia magis, *relaxata* roboranda sunt. *Spasmi*, et irritabilitas nimia, orgasmi, aestus volatici, *excretionnes nimiae*, temperationem, moderationem, et toni aequalitatem, exposcunt, a cohibitione diuersam, vbi tempora, et indiuidua, respicienda sunt. Indicationes hae, per congrua indicata, pro circumstantiarum ratione, combinandae sunt.

§. XIX.

CHLOROSIS in primis vario modo tractanda est. Eā, quae in emanatione, obstructione, mensium, obuenit, et *spissitudinem* humorum, et *empbraxin* in aliis visceribus, inuoluit, paulo acriora resoluentia, diuretica, aluum ducuntia, et tum tonica, postulat. Talis autem, quae e *tenuitate humorum*, excretionne nimia, fibra debili, oritur, roborantia, incrassantia, nutrientia, interdum incitantia, amara, balsamica, et suo loco, martialia, flagitat. Pallor, cum lenta febre iunctus, et laesionis vteri sublationem, et febrilium motuum temperationem, indicat. Interdum morales caussae, desideria varia, votorum expletionem, si ea tuto fieri potest, suadent, aut saltem animi pathematum compositionem.

§. XX.

Aquae soteriae, quae saepiuscule in ataxia mensium, et recte, suadentur, siue *potentur*, siue ex iisdem bal-

nea instituantur, similes exposcunt cautelas. Inertibus humoribus salinae magis, saponaceae, et aluum ducen-tes, opponuntur. In defectu sanguinearum, stricte sic dictarum, partium, martiales magis conueniunt, quae et in fibra laxa profunt. Vt tamen vbique debitum regimen obseruetur. Sic quoque balnea saponacea, emollientia, in fibra stricta profunt, in debili magis martialia, vel quoque seleniticam terram fouentia. Eadem ratio est balneorum artificialium, infessuum, pediluuiorum. Pediluua reuellant humores a superioribus partibus, et, iusto tempore, deriuent ad vterum. Infessus vaporosi inuitent, quoque, *ευκαίρωσ.* Emollientia, vsurpentur in dysmenorrhoea, magis spastica. Emmenagoga demum, carminatiua, paululum aromatica, balnea adhibeantur, praemissis praecipue praemittendis, in humorum, atque fibrarum, inertia.

§. XXI.

Eae quae, in variis ataxiae mensium speciebus vsurpandis medicamentis, suppeditatae sunt *regulae therapeuticae generaliores, specificis* decantatis potiores, etiam circa ordinandum *vitae genus, et dietam, secundum variam hominum sortem,* determinandae veniunt. Sic v. c. in debilitate, humorum tenuitate, excretionem nimiam, nutritiam, cardiacam, quies: in humorum visciditate, fibrarum torpore, motus et potus, incitantia nonnulla, mutationes obiectorum, et consuetudinis, *et.* quadrant. Optandum foret, vt et *cuique suum* a medico posset impertiri.

VIRIS

ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMISQVE

DOMINO

IOANNI

HENRICO

RHANN

MEDICINAE DOCTORI

CELEBERRIMO ET REIPUBLICAE TVRICENSIS
SENATORI DIGNISSIMO

DOMINO

IOANNI GESNERO

MEDICINAE DOCTORI

PHYSICES ET MATHESIOS IN ACADEMIA
TVRICENSI PROFESSORI PVBLICO VENERANDI CANO-
NICORVM COLLEGII MEMBRO ACADEMIAE IMPERIA-
LIS NATVRAE CVRIOSORVM ET SOC. REG. SCIENTIAR.
BEROLINENSIS SVECICAE UPSAL GOETTING, PHYSICO
BOTANICAE FLORENTINAE ET PHYSICO MEDICAE
BASILEENSIS MEMBRO

DOMINO
SALOMONI
SCHINZ

MEDICINAE DOCTORI

EXPERIENTISSIMO ET REIPUBLICAE TV-
RICENSIS DVCENTVM VIRO LONGE
MERITISSIMO

FAVTOBIBVS AC PATRONIS MEIS
AETERNVM COLENDIS
NEC NON

DOMINO
IOANNI
CASPARO
HIRZELIO

MEDICINAE DOCTORI

INCLYTAE REIPUBLICAE TVRICENSIS DV-
CENTVM VIRO ARCHIATRO ET SYNODI ASSESSORI

PATRI DVLCISSIMO OMNI AMORIS PIETATIS
ATQVE HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

Quemadmodum memoriam beneficiorum a VOBIS, VIRI ILLV-
STRES, in me, a Prima Iuuentute, collatorum, nullum tempus de-
leturum est; ita nulla aetas, nullaque impedimenta, obstabunt, quo-
minus gratam, imo gratissimam, de illis VOBIS referam mentem.
Vtinam fortuna benigna permetteret, ut pro dignitate, atque iustis
votis VESTRIS, grati animi documenta exhibere valerem: Sed ma-
gnitudo ac multitudo beneficiorum, mihi a VOBIS tributorum, quo-
rum numerum hic referre nec locus, nec otium permittunt, ae-
que ac Virium mearum imbecillitas, sperare non sinunt, quod unquam
officiis mihi incumbentibus ex Voto satisfacturus sim. Interim hu-
manitas VESTRA non dubitare permittit, quin in voluntate mea
qualicumque benignissime acquiescatis, et qualiacumque gratiae men-
tis specimina aequi bonique consulatis. Hac spe ductus, primi-
tias studiorum meorum VOBIS offerre, ac NOMINIBVS VESTRIS
LONGE CELEBERRIMIS, humillima mente dicare, atque dedi-
care, ausus sum, certissime persuasus, quod leuidense admodum
hoc munusculum beneuola voluntate accepturi sitis. Crescentibus in
posterum viribus meis, et si Deo placuerit, quod ardentissimis pre-
cibus opto, vitam VOBIS, pariter ac mihi, prolongare, occasio
nunquam deerit, plura officiorum VOBIS debitorum monumenta po-
nere. Opto modo, opto ex intimi animi affectu, vt SVMMVM
IDEMQVE BENIGNISSIMVM NVMEN VOS omnes quam diu-
tissime superstites esse iubeat! Opto, vt viribus VOS sufficientissi-
mis instruat, quo munera VOBIS imposita rite administrare, at-
que

que DEO pariter ac proximo, suavissimaeque patriae inservire, salutemque VESTRAM, et aliorum, pro Virili promovere queatis.

TE, quod attinet, SVAVISSIME PARENS, TIBI praesertim non tantum longissimam vitam, sed et indulgentissimam quoque mentem, quam hucusque uberrime expertus sum, ex animo opto. TE enim salvo ac sospite nunquam deerit gratissima occasio, ex doctrinis atque exemplis TVIS novam utilitatem capiendi, atque sub autoritate TVA cognitionem meam in dies augendi: at aderit quoque occasio, animumgratum meum TIBI ostendendi, et si fieri potest, in gravissimis negotiis TVIS TE sublevandi. Vivite ergo, vigete ac florete per longam annorum seriem salvi ac felices! Vivite mei memores! Vivite persuasissimi, quod nunquam in VOBIS colendis ulli cessurus sim! Omni data occasione potius animum VOBIS deditum monstrare studebo, ad cineres usque permanens,

VIRI ILLVSTRES

AMPLISSIMORVM

NOMINVM VESTRORVM

Dabam Eriangae, d. X. Octobr.
MDCCLXXII.

obseruantissimus Cultor

I. C. HIRZEL.

§. XXII.

Hysteria, cum admodum latae significationis vox sit, certe varia etiam methodo tractanda est, a medico rationali, prout nunc ea ut vera uteri adfectio, et inde pendens effectus varius considerandus est: vel prout aliae, et adductae, causae materiales, et saepe morales, V. TISSOT *Essai sur les maladies de gens de monde*, p. 34. Ill. PRAES. von Bläbungen, p. 66. 74. 98. corporis partes varias, et uterum quoque, alterant. Haec causarum, et euentum, diagnosis, obseruantem medicum demum instruit, utrum, pro *re* nata, euacuantia, vel temperantia, carminatiua, neruina, roborantia, *cet.* propinare debeat, an nunc causam magis, vel interdum vrgentia symptomata, tollere, aut interdum vna fidelia duos dealbare parietes, et combinare agendorum rationes, adlaborandum ipsi sit.

§. XXIII.


Lochia denique, suo tempore, consideranda veniunt. Haec cum eosdem fere fontes, ac menses, agnoscant, suas quoque irregularitates patiuntur. Hae autem ataxiae, habito tamen vbique debito discrimine, forte ad similia genera, ad quae mensium ataxias retulimus, possent referri. Verum, cum lochiorum fluxus tantum circa puerperium, aut etiam abortum, obueniatur, neque proprie amplius mensium negotium inuoluat, de quo magis sermo hucusque nobis fuit, illorum tractationem, nunc non persequimur, utpote aliam scenam aperientem,
fce.



scenaeque descriptionem, postulantem. — Euolutum, ex parte, dedimus STATVM quendam MORBOSVM, seu potius, pro temporis ratione, *Sciagraphiam* quendam *status cuiusdam morbofi*. Forte *alii status morbofi*, si eorum causas, euentus, et euentuum schema, spectes, et *rectum*, cum *obliquo*, cuius illud *regula* est, computabis, etiam simili ratione, aut plenius et melius, possent describi. — Interim vt et hanc opellam Deus bene vertat, et vt beneuolus lector conatibus nostris faueat, cunctaque suis non destituantur vsibus, enixe precamur.

TANTVM.





NOBILISSIMO


DOMINO HIRZELIO

S. P. D.

PRAESES.

Sequeris igitur exempla aliorum conterraneorum tuorum, NOBILISSIME HIRZELI, qui et in nostra academia gnauiter salutaribus scientiis operam dedere, et adhuc dant, et qui quoque a nostra facultate summos in medicina honores iam reportarunt, eosque ornarunt. Postquam enim a CEL. PARENTE, et ab inclytis vivis, qui patriae TVAE ornamento sunt, scientiis, quae ad medicum pertinent, imbutus eras, eas in alma VIENNENSI vberius excoluisti. Tum etiam inter nos versatus es, et vidisti, quamnam operam, in tradendis disciplinis physicis et medicis, impendamus, ita ut optimis quibuscunque occasionibus hic uti possint philiatri. TV vero, cum nunc quoque summis in medicina honoribus exornevis, sequenda etiam amplius ducis praeclara exempla conterraneorum TVORVM, in illustri posita. Atque hoc ut felicissime fiat, ut adspiret summum numen, ut TIBI, cum TVIS, omnia rectissime cedant, ex animo opto. Vale!

Dab. Erlangae d. IX. Oët. MDCCLXXII.



VIRO
 PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
 IO. CASPARO HIRZELIO

DOCTORATVS IN ARTE SALVTARI CANDIDATO
 DIGNISSIMO
 FAVTORI ATQVE AMICO SVO OMNI VENERATIONIS
 CVLTV PROSEQVENDO

S. P. D.

M. CHRISTIANVS MASIVS

P. P. E.

Ad acquirendos in salutari arte summos honores, dum, dissertationis TVAE inauguralis ventilatione, viam TIBI pandis, praeter alios me quoque, non testem eruditionis TVAE modo, sed etiam antagonistam, adeo voluisti. Grata mente benevolentiam TVAM agnoscens, mandatis TVIS lubentissimo animo subscribo, licet vita mea, a studiis TVIS maxime aliena, ab his cancellis me longe arcere debuisset. Vt consilium TVVM, quod in bonum publicum vergit, maxime laudo: ita lauream, qua iam ornandus es, quamque ingenii TVI alacritate ac dexteritate, doctrinaeque medicae apparatus, TIBI comparasti, ex sincero animi affectu gratulor. Gratulor simul PATRI TVO ILLVSTRI de filio erudito, gratulor patriae dulcissimae TVAE de ciue utili pariter ac digno, gratulor denique omnis generis aegrotantibus, de auxiliatricibus manibus TVIS, quas adiuuante Deo experturi sunt. Votorum, quae his addere possem, summa eo tendit, vt summum, idemque benignissimum Numen TE per longam annorum seriem saluum atque incolumen conseruet. Quod si obtinueris, felicitas nulla TIBI deerit. Omnigena prosperitate ornatus, vt mei memoriam absens quoque conserues, enixe rogo. Equidem saltim eum in finem fauori atque amoris TVO de meliori me commendo. Dabam Erlangae d. XII. Oct. MDCCLXXII.

VIRO

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO

IO. CASPARO HIRZEL

DOCTORALIS DIGNITATIS CANDIDATO DIGNISSIMO
AMICO SVO LONGE AESTVMATISSIMO


S. D. P.

I. C. D. KRAVSS

MED. DOCTORAND.

Ex quo tempore tam felici mihi esse contigit, vt amicitia et consuetudine TVA vti coeperim, semper in TE admiratus sum praeclarum TVVM Ingenium, et solidiorem Doctrinam TVAM; ob quam non potui non et amare TE et magni facere. Vel maxime itaque laetor, quod et in eorum numero me esse velis, qui TIBI honores, quibus ab INCLYTO Medicorum ORDINE ornaberis, publice gratulabuntur, quique occasionem TIBI praebent, Doctrinam TVAM publicis Sermonibus declarandi. At ne graua a me expectes dubia! Perlecto enim TVO egregio specimine, vidi tam erudite illud conscriptum esse, vt etiam ab illis comprobari debeat, quibus non pariter ac mihi concessum erat, illa persentiscere eruditionis profundioris momenta, quae in Intimis TVIS recondita iacent. De moribus nil dicam TVIS, quoniam candorem et Modestiam animi TVI digne describere, ipsa TVA modestia vetat. Vere TIBI Honores iam in antecessum gratulor, in TE merito conferendos. Gratulor Parentibus de filio eruditissimo. Gratulor et Sanis, et Aegrotantibus, Patriae TVAE, de Viro in vtraque arte Apollinea Inclyto. Benedicat Summum Numen conatibus TVIS omnibus. Conseruet TE per longissimam annorum seriem saluum et incolumem. Et sic ex amplexibus meis discedens Valet.

Dabam Erlangae d. XII. Octobris MDCCLXXII.



PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

AMICORVM OPTIMO

S. P. D.

L. C. VOIGT.

BARVTHINVS. STVD. MED. OPPON.

Dum iam in eo es, vt summos in arte medica honores, pro iis quibus gaudes, meritis, adipiscaris, equidem non possum quin gaudium mihi inde enatum publice TIBI significem, laureamque TIBI ex animo gratuler. Quod reliquum est, nihil ardentius precor, quam vt omnia, summum numen, exoptata TIBI, ex votis, cedere iubeat.

In posterum vero, vt absens quoque mihi faueas, enixe rogo, et de meliori amori TVO me commendo. Dabam Erlangae
d. VII. Octobr. MDCCLXXII.

Durch treuer Freundschaft Pflicht mit *Dir* genau verbunden,
Nimmt mein empfindend Herz an *Deinem* Glücke Theil,
Und heitre Freude blickt aus meinen Zügen, weil
Ich heut *Dein* edles Haupt mit Lorbeern seh umwunden.
O welche Lust, wenn ich *Dich* in dem Stand erblicke,
Den *Dein* Verdienst erwarb. Doch ach! es nahet sich
Zu schnell! Der Schreckens-Tag, an dem ich, *Bester, Dich*
Verlihren soll. So wird vom mächtigen Geschicke
Der Freund, den es mir gab, bald wiederum entführet!
Mein *Hirzel!* lebe wohl! komm, Freund, komm bald beglückt
In *Deine* Vaterstadt, wo feyerlich geschmückt
Dein weitberühmtes Haus, durch *Dich* noch mehr gezieret,
Mit Sehnsucht nach *Dir* sieht. Wann *Du* dann dort gekrönet
Mit Stand, Verdienst und Ruhm, im Schoos der Freuden bist;
Dann denk, mein *Freund!* an den, der *Deiner* nie vergißt,
Der mit Vergnügen sich stets zärtlich nach *Dir* sehnet,

an DEINEN

aufrechtigstergebensten Freund
und Diener